



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. X. Clericus non admodu[m] spectatae uitae, paruo momento, Virginis beneficio immortalis, sancto afflatu contactus, sibi sanctu[m] uitae genus instituit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

fieret, id ipse confessus est; quem ideo episcopus à sacrorum administratione amouit. Sed postero die Virgo in somnis episcopum acriter accusans, uehementer ei minata est; futurum dicens, ut intra triduum moreretur, nisi sacerdotem suum, ad eam dignitatem iterum extulisset; quia seuerè agens illi interdixerat. Episcopus accito sacerdote, cum prius se illi multis uerbis purgasset, eum sacris restituit: sanctumq. & honestum studium rei diuinae ad Virginis laudem Deo faciendae summò opere laudauit; suadens, ne ullo unquam tempore à tantae Reginae cultu abscederet.

## MIRAC. VIRG. X.

*Clericus non admodum spectatae uitae, paruo momento, Virginis beneficio immortalis, sancto afflatu contactus, sibi sanctam uitae genus instituit.*

**L**icet à uia recti paullulum declinaret clericus; in eo tamen pium institutum inualuerat; ut, dum Virginis laudes canticis recenseret, semper stans, nunquam sedens uisus fuerit. Fortè is, dum noctu somnum cepisset, ante Seruatoris tribunal, horribili infomnio in iudicium uocari uisus est; & ob detestanda flagitia, quibus sese quotidie inficere, & inquinare pergebat, morti damnatus, aeterniq. supplicij poena reus peractus est. Sed lucidissimū coelidescus, piaq. humani generis patrona, quae propè iudicè confidebat, assurgens, ita locuta est. Heu, dulcissime fili, licet te huius miseri uita parū integrè adhuc acta ad iram, atq. odium impulerit, & incitarit; illud tamē  
pro



pro meo erga te amore, depone ac leni; tuaq. clemencia perditum iuuenem, iam infernis poenis iudicatum, uitae restitue. obsecro te, infelix iste studiosissimis parentis tuae precib. condonetur; quae tecum eius causa suppliciter agit. Posthac enim se ab omni re turpi, & obscura continebit; optimūq. uitae cursum capiet; ac tibi, pijs, egregijsq. facinorib. placere semper studebit. sanctissimae genitricis uerbis totus placatus, conuersaq. ira in ardentissimam pietatē, sydereo illo ore, quo serena ac laeta omnia fiunt, tibi illū, inquit, pia mater habe, corrige, argue, increpa; ut optimo cursu uitam posthac ineat, ac prosequatur. Quare mater filio maximas gratias egit. Iuueni uerò iussit, ut meliorem uiuendi rationem iniret, & in uiam rectam rediret; ne in grauius aliquod discrimen adduceretur. Quod experrectus, illo insomnio diligenter perpēso, ipse postea semper praestitit, Virginis dicto audiens.

## MIRAC. VIRG. XI.

*Theophilus desperatione adductus, se Satanae dederat, à Christi fide deficiens. Sed Virginis ope tanti sceleris uenia impetrata, à Christo iterum in fidem receptus est.*

**T**heophilus Siculus, anno à partu Virgineo edito, id. xxxvj. cuiusdā episcopi uices gerebat; & ita sibi omnium animos, ob singularem uirtutem, egregiamq. probitatem conciliarat; ut, cum uita functus esset episcopus, uno omnium ore, ac consensu episcopatu dignus fuerit iudicatus. At ipse, quae erat modestia, solo proepiscopi munere, quo iamungebatur,